

EPISTOLÆ DUA  
HISTORICÆ;  
PRIOR,

**QVA RIGENSES**  
**AD SERENISSIMUM SL-**  
**GISMVND. III. POLON. REGEM.**  
May. Ducem Lithuan. causas perscribunt, ob  
quas se urbemque suam, Livoniæ metropolin in potestatem  
Sereniss. GUSTAVI ADOLPHI Sueciæ, &c. Re-  
gis, & quis conditionibus de-  
derint.

POSTERIOR,

**CHRISTOPHORI RAD-**  
**ZIVVILII PRINCIPIS BIRZARVM, &c.**  
invectiva contra Rigenses, qui fortiter re-  
sistere debuerint,

*Veraq[ue] epistola lectum est dignissima.*



FRANCO FVRTI:

ANNO M. DC. XXII. — 2



SERENISSIME ET POTENTISSIME PRIN-  
ceps Domine, Dn. Clem.

Servitia & obsequia nostra promptissima cum  
veneratione.

E XVII<sup>95</sup>  
radit  
**N**on dubitamus R. M. V. auditione jam accepisse, summoq[ue] dolore affici: in eam fortunam nos fatali quadam rerum conversione devenisse, quam nec ipsamet R. M. V. unquam credidit, nec nos eventuram aliquando opinari sumus; Sed Deus Regnum & Imperiorum terminos constituit, ac mutat, pro ut si ei visum fuerit, nec humana sagacitati datum est, reconditos Divinit[er] mysterii recessus perscrutari, qualem cung[ue] tandem duritiem velini-quitatem praeferre videantur. Meminit S. R. M. V. tam in proximi-  
mè prateritis generalibus Comitiis per nuncios nostros publicè, quam privatim literis nostris frequentibus periculi magnitudinem à Suecia Regno nobis imminentem, humillime & querelâ voce exposuisse. A nonnullis sane, rem & tempus prudenter penitentibus, fides nobis ha-  
bita fuit: à nonnullis vicissim derogata, qui vel preoccupati animi af-  
fectione, vel sinistra aliorum crudelitat[er] & opinione ducti fuerunt:  
gavisi tamen firmus; quod Republicā, gravissimo Turcico bello alibi implicata. R. M. V. partem aliquam solicitudinj suæ in miseram Li-  
voniam derivare ac perficere dignata fuit: ut illustrissime Principi Domino RADZIVVILo Campiductori Maj. Domino Lith. cura tu-  
enda Livonia & publica autoritate committeretur. Collegeratis mox co-  
pias aliquas, ut nobis relatum est. Sed quæ alio postea adductæ sunt;  
quod non leves autores securitatem Livonia, quocunq[ue] tandem animo pollicerentur. Deinde aures S. R. M. V. iteratis literis cum fatigatus responsum tulimus: illustrissimo Domino Palatino Vilnensi curam Li-  
voniam defendendi incumbere: quo auditio, haud parum turbatis sumus,  
quibus jam notum erat: eundem Dominum Palatinum ad subeundas Generalis in Polonia Ducis esse à R. M. V. in Podoliā evocatum;  
cui gravissimo oneri suscipiendo, ut maxime sufficiens sit; tamen  
Livonia curam eum via in tanta rerum mole gerere posse, & jure fore

excusatum. Postea iterum ad illustriss. Campiducem remissi fuimus: cum bona pars temporis effluxisset: hostis vero noster summo studio ac diligentia ad rem consciendam pergeret. Quamobrem non destitemus, deinceps quoq; tam S.R.V.M. quanquam maximis occupationibus distortam, quam ipsum Dominum Campiducem orare, interpellare, obsecrare: ut qua fieri posset, summa celeritate auxiliares copia cogerentur; ac in Livoniam mitterentur. Facilem enim & expeditum brevemq; esse è Suecia in Livoniam transitum, qui à nemine presentiri vel prænunciari queat. Itaq; operam dandam esse Domino Campiduci, ut prior possessionem campi adipiscatur, sic enim multis rebus posterior futurus sit: posteriorem vero, ut vt benè instructus armis veniret, multus in commodis obnoxium fore. Quamvis autem Dominus Campidux ad summam diligentiam nihil reliquum fecisse videatur: quominus justum exercitum & mature colligeret, ac in Livoniam duceret: tamen ab hoste tum nostro, diu bellam præparante, præventus fuit, qui classe sua instructissima portum flumenq; Luna mox occupavit, militemq; incontinentem exposuit, ac post paucos dies adventantibus reliquis copiis terrastri itinere in urbis conspectum universus exercitus prodit: castra metari cœpit; aggeres forsitan munitiones plurimas admirabil festinatione duxit & formavit: deinde grandioribus tormentis summa vi ac vehementia pinnas munitionum nostrarum, ita verberavit ac quassavit, ut vix consistendi locus fuerit: nihilominus animo impavido, quantum omnino, per vires nostras licuit, restitemus, & vices reddidimus: ut non pauci in castris hostilibus occiderint. Sanè non parum nos solicitude curaq; incesserat; quod trecentostantum milites, licet summo studio in vicinore Germania ac Livonia conquistos conducere potuerimus. Nam Danie Rex aliq; Principes militem cogentes, & amplio stipendio allientes, magno nobis impedimento fuerunt: in ipsa vero Livonia, armis virisq; omnino exhausta, frustra milites conquisihi fuerunt: huic tamen malo, ut qua cuncta ratione mederemur, equitum prefectus Condonem & labarum, qui illustriss. Dn. Zamoscio Palatino Kiovieni operam obstrinxerat, sed sero venturus erat, peculiari stipendio conduximus: ut acri in communi periculo præsens. quæ res vires nostras distracta ac labefactavit. Quamvis autem cives nostri, milesq; mira animorum alacritate

eritate quevis pericula subire non detrectauerint: tamen singulas ferè  
 diebus non paucos fortuna belli absumit: sed spes auxilii à Republica  
 ferendi animos diu sustentauit: Præsertim cum Illustris. Dn. Campi-  
 ductor ultra Dunam conspicendum se prebuit, ac velitando hostiles  
 ibidem copias aggressus fuit; que tamen vix duodecim partem exerci-  
 tii efficiunt. Is enim, ut ex certissimis autoribus didicimus, non agin-  
 ga novem vexilla peditum, equitum viginti & unum in singula ve-  
 xilla centum & quinquaginta viris computatis complectitur. Postea  
 verò quum à duabus septimanis aliquot diebus, ex quo Dominus Cam-  
 piductor unam tantum noctem moratus recesserat, nulla amplius spes  
 suppetiarum affulxit: Ciuitas verò arctiori indies obsecione premere-  
 tur: numerus militum ad dimidiā partem imminueretur: Ciuium  
 quoque juueniumq; non pauci interiissent, non ita ex omnibus partibus  
 hosti occurrere potuit, ut voluntas & necessitas nostra requirebat. Igi-  
 tur proprius ad munimenta nostra mouens hostis nocturno tempore ea  
 suffodire, cuniculosq; agere ita properauit, ut tribus in locis eos perfe-  
 cerit, longumq; in spaciū 14. nimurum diduxerit, suppositis 24. ca-  
 dis puluere instructo, repletis iam jam in arcem cum certissima super-  
 stantium pernitie diuicturus erat, nisi fæminei sexu & perdulonum  
 misericordia animum oppugnantis subiisset. Itaq; omni humani au-  
 xiliū respecta nobis preciso dum ne unus quidem de quingentis illis pe-  
 ditibus, quos Gedano submissum, ut Maestas V. promiserat, compare-  
 ret, efferḡ res ad extremum adducta discrimen, habito cum Domino  
 Castellano, aliūq; Nobilibus, tum equitum Praefectis Capitancisque, &  
 rei bellicæ peritis consilio rem desperatam esse omnibus conclamanti-  
 bus, in colloquium deuenimus, pac̄tq; incolumentem uxorum, libero-  
 rum, tum omnium jurium ac libertatum nostrarum, infidem ac ditio-  
 nem Serenissimi Regis Gustavi Adolphi conc̄simus, quā in re admirabili-  
 em victoris clementiam & lenitatem satis prædicare non possumus,  
 qui summa moderatione animi, hanc fortunam suam superauit, ac  
 nos vivere coēgit, idq; supplicantibus nobis benignissime largitus est,  
 ut si intra triennii spaciū pax aquis conditionibus, inter utrumque  
 Regem coiret, cum omni jure ac libertate illibata in ditionem R. M. V.  
 redeundi nobis potestas sit sancte coram S. R. M. V. affirmamus, idem  
 coram Dei Iustissimi & omnium Angelorum conspectu, in ultima illa  
 mundi

5

mundi disquisitione testificaturi, paratisimos nos fuisse unatum uxoriis, liberis, omnibus fortunis, certissimam oppetere mortem, si vlla vel laus vel utilitas ad R. M. V. & Rem. publ. promanare potuisset, nisi quoq; pietas erga Deum, & fidei nostrae commissos, a tam crudeli facinore ac furore nos renocasset, quem ipsam Maiest. V. ad improbaturam persuasum nobis fuisse. Quorum autem culpâ hoc Reipubl. Polo detrimentum acciderit, Deus judicabit, qui omnium animorum occultos recessus perspicit. Dum autem facere coacti sumus, quod diuina humanaq; jura, ac naturalis ratio, tum omnium gentium laudata exempla permittunt. Supplicamus R. M. V. ut non voluntati, vel ulli culpa nostra, sed fatali cuidam ac immutabili rerum conuersione imputare dignetur, quin summa ope in eam curam incumbat, ut omnis Christi fundendi innoxii Christiani sanguinis in cælum clamantis è medio tollatur, pax firma tandem stabilitur, vastationibus & direptionibus finis imponatur, quinq; oppressis & defatigatis populis restituatur, alioquin cælum & terra testimonium contra iniustos oppressores perhibebunt, & ira diuina magis magisq; accensa iisdem dolorem sempiternum inuret. Certè Livonia omnis ad tantam Christiani sanguinis effusionem nunc naufragat ahorret. Deus victoriarum auctor S. R. M. V. optatissimum triumphum contra barbaros gentes largiatur, cuius gratia innocentiam nostram commendamus. Datum Rigæ, 20. Sept.

*Anno 1621.*

---

**CHRISTOPHORUS RADZIVVIL**  
De gratia Dux Birzaru[m] & Dubiricoru[m] Sac. Imp. Princeps,  
exercitu May. Dux Lithuæ Dux campestris.

Spectabili Senatu ac omnibus Ordinibus civitatis Rigen[sis]  
salutem.

**P**ostequam de editione Virbis vestræ, certis primum nunciis, deinde literum vestrarum significatione accepi: equidem pro eo, atq; par erat, gravior casum hunc & acerbe tuli: non quod iacturam istam, S. R. M. Dn. nostro Clementissimo, & Reipubl. damnum aliquod irreparabile afferre existimem; sed quod vobis, fortunisq; vestris fatalem quandam & funestum diem persentiscere mihi videar. Nec sane tam inhumanus sum: vt humanis non ingemiscam casibus: nec tam durus, vt amicitiæ, quam vobiscum integre colui, obliuisci queam. Qualem itaq; habueritis amicum haec tenus, nunc tandem cum S. R. Maiestati & Reipublicæ, eademq; opera mihi quoq; amici esse desistis, cognoscite, & simul quid de facto vestro sentire cogar, quidq; R. M. & Rempubl. de

eo iudicaturam putem, a ceipite. Vrbem florentissimam, omniq; rerum & armorum copia instructam & abundantem, cum spes propinqui auxili præsto esset, vltro hosti tradidisti: oblixi nexus & sacramenti, quo R. M. & Reipubl. obstricti tenemini, nec satis memores; tam festinatum & præcepis consilium quis tandem maneat exitus. Quod enim destitutionem primum, deinde vim hostilem querimini; excusitionem hanc quoniam pæcto R.M. totiq; orbe sitis approbatu-ri, vobis met ipsius reputandum relinquo. Ac primam quidem prætensionem quod attinet; efflagitasse vos opem & auxilia Reipublicæ: verum & fatendum est; sed nec id fallum aut diffidendum; opem & auxilia Reipubl. in Comitiis Regni decreta, ac tandem ingruente bello submissa vobis esse. Hic fortassis, vel tarditatem vel infirmitatem suppetiarum accusabitis. Sit sane aliqua in ferendo auxilio mora interiecta; idcirco ne vos à nobis publicè desertos, vsque ad invidiam apud exterios iactabilis, cum & auxilia non ita, vt cupiebamus mature, non tan- men vicissim sic fero venerint, quin præsentem calamitatem, saltem ad paucos adhuc dies durando declinare in manu vestra esset: & tarditas ista civis potius causæ, quam obliuioni aut incuria vestri periculi impurari deberet. Quicquid enim hic moræ fuit, totum id cum in hostem, Commissarii vestros in tractati- bus eladenter, ac sub inducituram spe, bellum integro triennio contra nos præparatum, occultantem, reiici debet, tum in sinistras suggestiones, quæ, vt scribi- tis, effecerunt, ne nos priores possessionem campi adepti fuerimus, quod si penes eos, qui ius fidam pacem suggesterant, hæret crimen huius tarditatis: quid causæ est: quo minus vestra vos istius culpæ condemnet confessio, qui literis qui- busdam vestris ante deditiōnem datis, diffiteri non potestis; cum ante 20. diem à cœpta obsedione exactum, signa nostra volitare in vestro arque hostis conspe-ctu videretis: nempe nostra vos paucitas animos despondere cogit. An vos for- tunam belli numero bellatorum metimini, ac non potius præpotentis Dei Patro- cinio, qui meliori causæ deesse non solet? quoties in eadem causa eundem ho- stem longè imparibus copiis congressi superauimus? excideruntne animi tot in- clyta nostrorū decora & victoriarum trophæa, quib. magnū illud numen testatū est, esse sibi curæ inique suscepti belli, vtrroneum? Nec mihi déerat, animus per auſa & vestigia majorum vadendi: dedisset mihi, vtinam, nuper ad ripam Dunæ pugnandi copiam hostis: cum eriam afflictam morbo & profligatam valetudi- nem meam decernendi cupidus in propulsionem periculi vestri impendere non dubitarem? sane longo iam post hominum memoriam tempore regiones istæ non nisi exigua manu, contra numerosos hostium exercitus defensæ sunt, ut mirari mihi sciebat: portuisse vos hoc tempore numerus exercitus nostri despici- cere: cum præsertim indies acutior fieret, & confluentes vndiq; copiæ expecta- rentur. Paucitatem quoque conducti præsidii prætenditis: id vero sub admira- tionem venit: civitatem longo jam tempore præsentis belli præsciam, tam male de mercenario milite sibi prospexit, cum tamen memoria hominum nondum excesserit: tempore pacis longè maiorem eorundem numerum intra mœnia sua alere conluevisse. Quid? quod præter Urbanum cohortem, equitum quoque præsidium à me concessum, twendæ vrbi superfuit. Sed præterea itane masculæ virtutis Riga inops fuit: vt etiam absq; conducto milite vigiliis atque laboribus ciuium suorum, vltra exiguum mensis vnius & octo dierum spacium defendi ne- quirent? miles stipendio astringitur: Vobis vero pietas, vobis fides, vobis o- mnia divina humanaque jura, in tanta præsertim plebis concordia & constantia, necessitatē durandi imponebant. Au paucā præteriti, præsentisque temporis habuistis vrbium exempla, quæ in tristissimam conditionem ac deploratissimam fortunam, (licet in causa haud iusta) fæce vtrō delicere, quam in fidem oppu-

7

gnantis concedere maluerint. Vobis vero quid defuit? An vos in opia ciuitatis  
commeatu, & annona non modo ad necessitatem, sed etiam ad abundantiam in-  
structissima terrebat? An de iuppertiis S. R. M. iam iam reddituri desperabatis? At-  
qui literis meis per vestros internuncios transmissis, testatum vobis feceram: me  
ab urbe recipiendarum reliquarum copiarum causa saltem ad castra digressum fu-  
isse, ac interea minimè otiatum esse: licet id in vestro conspectu non fieret: quis  
animo suo percipere, aut coniectura assequi poterat? nos nulla fracti animi signifi-  
catione data, interea, dum redeunte morbo implicitus, iam iam ventura auxilia  
praestolor, tam festinatam dditionem, me nullo modo premonito deproperatu-  
ros fuisse? Sed nimur ruribam turreum supposito puluere pyro machinatam de-  
clinare voluistis? Primi ne Rigenes genere oppugnationis sunt pertiti? Aut nulla  
ex arte militari evitandi cuniculatio ostendebatur; cum in affluentia promptissi-  
mæ plebis fossores deesse non possent. Denique cum tanta vos premeret nece-  
fitas: ut iam animos despondere inciperetis, grave videlicet aut factu nimis diffi-  
cile fuit, me vix aliquor miliaribus ab urbe distante, impendentis discriminis  
commonesae re, qui de decas hoc & detrimentum Reipubl. etiam mei capitis pe-  
riculo, si qui foris sineret calusve Deus ve anteverendum putavisset. Clemen-  
tiam victoris prædicatis: hoc quidem homine & Principe Christiano, si quæ alia  
virtus maximè digna est. Sed si hæc vera sunt, ut vera esse, ex nostris intelligo,  
ac ideo libenter, ipsi licet hosti, laudem hac in parte tribuo: Certe in istam cle-  
mentiam deliquistis, siquidem vano timori ac metui ante dditionem nimium in-  
dulsi stis, quantum dedecus, quaue culpa commissa sit, cederis. Nunc quam miser  
sit futurus, & calamitosus, adeo præcipitis consilii eventus considerate. Ac nescio  
sane, an noua perire semel expugnatis satius fuerit, quam lento velutier cruciati con-  
fici: & cum sempiterna nominis infamia nouo letho interire? Riga enim, vt  
Suecius nunc fuit; ita breui nostratis expugnabilis erit. Sed vos Rigenes qua-  
lem sortem civitati vestrae, ex quo castitatem & integritatem fidei suæ amisit,  
tempora minitentur, videte: Taceo mala, quæ vos ab hostilibus praesidiis ma-  
nent: vt vt se prima dant initia, qui vobis ciuitatis vestrae munitiones, quas tam  
parvo negotio capi permittritis, nunquam sine numerosa militum custodia con-  
cident: han libertatem quidem verbis polliceri, quam re vobis, incolumen præ-  
stare proclivius erit: qua semel delibata, florem suum vrinam vnquam recuperare  
possit. Indicate quantum de opibus vestris decrecerit mercatura ciuitati vestrae,  
adempta? Sed quid dico de opibus? Imò quam angustam sortem, extremamque  
& naturales vestrae subituræ sint, mature expedite. Quid vobis nunc vestra in  
Rempubl. prosunt merita? quid decantata fides & fortitudo? si cum maximè flo-  
rere debebant, exaruerint. Infelix & nefastus dies, quo primum ad tractatus alle-  
eti estis: ille vobis incedit, quod minus fiducia meritorum vestrorum iura & liber-  
tates vestras apud R. M. & Rempubl. proferre possetis. Benè cum iis aëtum video,  
qui pulcherrima morte damnosam Patriæ dditionem in ista obsecione præver-  
terant, melius cum iis, qui pro aris & focis strenuè dimicantes ab omnibus tracta-  
tibus puros, intemperatos & innoxios animos continuerunt: optimè cum illis, qui  
spontaneum exiliū amplecti, ac desertis patriis laribus clementiam S. R. M. ac  
fidem Reipublicæ implorare constituerunt. Vestra de pace obtestatio  
satis est pathetica, sed hoc tempore permisis Marti habenis vix aliquid pon-  
deris habitura: nisi totares in integrum restituta fuerit. Quis enim nō verti-  
rit S. R. M. & Reipubl. si tam eno men iniuriam, quam nobis barbarico bello, in-  
tentus hostis, sic Christiani sanguinis nulla ratione habita, intulit, negligenter? Ut  
vt tamen est: vestrum est, pacem optare: non verò nos ad eam, in viro Rege, san-  
ciendam

etiamq[ue] aliquantum et. illibet h[ab]it. 8  
c[on]demnare commonefacere. Apud nos enim, ut cuivis ordini, ita multo magis Ma-  
gistratui à D[omi]no nobis concessio, sua debet constare libertas & prærogativa, quam  
contentionibus in causa præsertim, tam iniqua violare fas non est. Quamvis au-  
tem ira Dei gratia comparatus sim: ut æquitate causæ fretus, modò pugnam non  
derreter, neque defugiat hostis, de summa verum decernere & possum & aude-  
am, tamen ne à Pacis consiliis abhorrire videar: siquidem pars adversa animum  
suum candidam nobis declararet, pro ea, quam à S. R. M. & Recipubl. accepimus  
facultate non parceremus labori: ut aliquid in salutem harum provinciarum  
confici posset. H[ab]eunt, quæ literis vestris provocatus respondenda duxi; quæ  
quidem à nobis eo, quo à me scripta sunt, animo acceperimiri confido: cum in his  
literis non hostem, sed veterem, vestrum amicum egerim: plus condolentia,  
quam iracundia, benevolia commonefactioni, quam minacibus verbis, vtpote sa-  
lutis, quam exiitii vestri cupidior, indulserim. Non possum enim dissimulare  
meum causa vestra dolorem. Cum non mœnia, non ædificia, non turres vestras,  
sed virtutem Rigensium toties à me summo conatu defensam, & laudatam conci-  
disse, clanguisse fractam, conculcatam insultationibus malevolorum; qui talia  
de nobis dudum ominantes meum in vos effectum criminabantur, prostitutam  
dolcam. Valete, pristinos animos capessite, ac R. M. & Recipubl. nostræ de profi-  
gatis ante 27. dies barbarorum quinquaginta millibus ac obtento in  
Valaisia campi Dominio congratulamini. Datum  
ex castris.

